



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

ARGUMENTVM.

Adhuc perseverat secunda visio huius operis. Cum Ioannes superiori capite de multiplici Ecclesia persecutione dixerit, hoc septimo persecutionis finem, pacemque, & tranquillitatem Ecclesia, eiusdemque propagationem non solum ex Iudeis, sed multo magis ex gentibus pronunciat. Quod vero attinet ad visionem imaginariam, narrat vidisse se quatuor Angelos stantes super quatuor Angelos terra, tenentes quatuor Ventos terra, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Deinde vidisse alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, qui clamavit quatuor Angelis, ne nocerent terra, neque mari, neque arboribus, quousque serui Dei in frontibus signarentur. Tertio audiuisse numerum signatorum ex omni tribu filiorum Israel, centum quadraginta quatuor millia, id est, duodecim millia ex singulis tribubus, quae duodecim tantum hoc loco numerantur, quia praetermittitur tribus Dan propter Antichristum, qui ex ea tribu orietur. At vero ex gentibus vidisse infinitam prope diodum multitudinem amicti stolis albis & palmas manibus gestantem quae omnia deinceps sunt singulatim explicanda.

CAPVT SEPTIMVM.



OSTHÆC vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël. Ex tribu Iuda duodecim millia signati. Ex tribu Ruben duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati. Ex tribu Aser duodecim millia signati. Ex tribu Nephthali, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse duodecim millia signati. Ex tribu Simeon duodecim millia signati. Ex tribu Leui duodecim millia signati. Ex tribu Issachar duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati. Ex tribu Ioseph duodecim millia signati. Ex tribu Benjamin duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna: dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super